

## EXEGESIS.

**T**ria in hoc articulo sunt observanda. I. *Quod qui abire vult, locum, quo se conferre destinavit, indicare teneatur.* Ubi iterum sequentia sunt consideranda. (1) Posse quempiam ex justis causis absentem esse, uti studiorum gratia *Auth. Habita. C. ne filius pro patre.* vel commerciorum causâ, vel ex alia quadam honesta causa. (2) Si accusator post rei capturam ex honesta quadam causa secedere velit, prius teneatur Judicii significare locum, ubi in posterum degere velit, modò locus iste sit commodus & tutus, ubi secure accedere, & recedere licet. (3) Causa denunciationis hujus desumitur potissimum à fine, qui est promotio Justitiæ, ne scilicet ob accusatoris absentiam Judicium reddatur elusorium: Igitur, ut illi ea, quæ postmodum ab ~~incarcerato~~ probantur & contra accusationem deducuntur, transmitti queant, nec non si opus fuerit, ipse citari debeat, Judex sciat, ubinam locorum degat accusator. Accedit & illa ratio, ne ~~incarceratus~~ ob absentiam latitantis accusatoris justo diutius teneatur in carcere subsistere. Cum itaque hominum occupationibus aliquid sit concedendum, & probabiles sœpe existant causæ, ob quas accusator cogatur abesse; ideo, si is præstiterit sufficientem cautionem, cum dicta cautela ipsi discessus ex isto loco permitti poterit.

II. *Quod accusator, qui alibi locorum dedit, teneatur nuncio acta, & citationes insinuanti, secundum cuiuslibet loci & provinciæ consuetudinem mercedem solvere æquam.* Æstimatur autem merces secundum numerum miliarium, ubi pro singulis miliaribus tantum solvit, quantum è consuetudine & moribus regionis aut loci solvere oportet. Ratio autem, quare Actor mercedem solvere cogatur, est hæc, quoniam *is, cuius gratia celebratur actus, sumptus præstare tenetur. l. ii. §. i. ff. ad exhib.* Æquissimum itaque est, ut accusator solvat mercedem, utpote cuius interest, acta ad eum transferri.

III. *Ht actuarius in aliis judiciariis notet locum ab accusatore designatum;* ut eò certius, quicquid postea in Judicio tractabitur, ei communicari, & si postea variet, actis convinci possit.

ARTI-